


# PALAESTRA LATINA



## SUMMARIUM

Palaestra Exercitatoria, *A. Monreal*  
Curiosa et jocosa  
Exempla conjecturarum, *Emil Orth*  
Nova et Vetera, *Ildephonsus González*  
Firmino Aemilio Lafitte, *Clementinus Sanz*

Colloquium, *Leo M. Sansegundo*  
Cursus Gymnasticus, *Josephus M. Mir*  
Curiosis amicis responsa dantur, *Censorinus*  
Rosa Rubra, *P. Mangeot*  
Bibliographia, *González, Ramos, Molina*

## Palaestra Exercitatoria

### QUIS ES TU?

Princeps Ivus cum surrexisset adversus regem, patrem suum, eum necavit. Ita sibi videbatur feliciter regnaturus.

Convivia, oblectamenta, omnia adhibuit ut conscientiae vocem reprimeret, quae facinus pessimum exprobrabat. Sed in casum. Conscientiae angor eum quiescere non sinebat. Spectra taetrica undique invadebant. Quadam die maximum convivium celebrabat. Omnes primogeniti regni cum eo congregati erant.

Musici, gaudia, flores, omnia abundabant. Subito terrificum clamorem rex dedit... Palluit... Coepit tremere... Oculi inflammati erant et firmiter aliquid inspiciebant quod ceteri non discernabant. Musica destitit et laetitia cessavit... Alius clamor exauditur... Exstinguite has luces!... Luces exstinctae sunt; et exedra obscura mansit... Spectrum quoddam terrificum rubescenti luce circumdatum in medio cenaculo apparuit... Procedit... Appropinquat ad regem... Hic recedere vult... Nequit... Iterum clamat... — «Quis es tu, cur me persequeris? Estne pater meus?» — «Minime, non sum pater tuus. Si essem, tibi ignoscerem, sed ego non ignosco et semper et ubique te persequar. Tu me interrogas quis sim? Ego sum animi angor»... et evanuit.

Barbastris.

ANGELUS MONREAL, C. M. P.

## Curiosa et jocosa

*Antonius:* Qua de causa retardatur tempus in America, et sol multo serius oritur caditque, quam in Europa?

*Frater:* Fortasse quia America sero reperia est!

*Magister:* Quo anno Tacitus mortem obiit?

*Discipulus:* Incertum est, hoc enim ne ipse Tacitus quidem in operibus memorat.

FILIUS ET PATER

*Filius:* Dic mihi, Pater, quid significet haec vox latina «Vacuum»?

*Pater:* Nunc, repente nescio, sed in capite meo est.

Ordinarii ac Superiorum licentia

# PALAESTRA LATINA

---

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

---

## Exempla conjecturarum

1. Divitissimus ille *Maecenas* ipse poëta et fautor Horatii poëtae his versibus amorem suum in pauperem vatem expressit, qui leguntur in Suetonii vita Horatii (cf. Horatii carmina recensuit FRIDERICUS KLINGNER. Lipsiae, Teubneriana, 1939, p. 1, 15):

ni te visceribus meis, Horati,  
plus iam diligo, tu tuum sodalem  
vineto videas strigosior.

Pro falsa scriptura incipientis vocabuli lineae tertiae «nimio videas» solum hoc ponendum est «vineto videas». *Vinetum* idem est atque Graece κληματίς id quod ex Chrysippi Stoici collectione proverbiorum notum erat; cf. DIOG. LAERT. VII 1, 2 Αἰγυπτία κληματίς, quo eodem exemplo Demetrius, *de elocutione*, 172, utitur Chrysippum sequens, ut opinor. Maecenas litteris Graecis optime eruditus ut Horatius proverbium Graecum in carmine ad Horatium misso Latine «vineto strigosior» reddidit. Haec forma ut proverbium Romanum ad illum librum «Sprichwoerter der Roemer» adjungenda est, quem A. OTTO, Lipsiae, 1890 (apud Teubner) edidit. Maecenas versibus supra laudatis profitetur se corpore crasso fuisse. Origo erroris scripturae sic explicari potest: *vineto, vinito, viniio, vimio, nimio*.

2. *Apollonides* Nicaeensis apud Diogenem Laertium, IX, 109 describitur ut interpres sillorum Timonis. *Silli* vocabantur versus ludibundi (ludibrio pleni), ubi Timon omni libertate dicendi aequales aggrediebatur. Apollonides ipse quoque eadem libertate dicendi usus videtur esse; quapropter cognomine ὁ παρρημῶν, quod a voce παρρησία derivatur, significatus est. In omnibus quidem codicibus sic παρημῶν falso scribitur, absente una littera ρ, cum duae litterae ρρ adesse debeant. Scriba vocem παρρημῶν ignorans injuria παρήμῶν exaravit quod hac ratione παρ' ἡμῶν scriptum sensu caret. Nam Appollonides neque patria neque schola neque tempore cum Diogene Laertio cohaerebat. παρρημῶν formatur ut multa alia vocabula in -ρημῶν desinentia; cf. KRETSCHMER-LOCKE: *Ruecklaeufiges Woerterbuch der griechischen Sprache* (Goettingen 1944).

3. *Menander* rhetor, III, 361, 1 SPENGL (Teubneriana) occupationes corporales describens exempla ῥητορικῆ et ἀθλητικῆ affert; aptum documento est ἀθλητικῆ, quae ars viribus corporis fuñgitur. At ῥητορικῆ est ars spiritualis et scientia, non autem occupatio mere corporalis. Scripserat Menander γρηγορικῆ, id est occupatio custodiae, in qua multi nervorum labores postulantur. Origo erroris ita verisimilis redditur. ΓΡΗΓΟΡΙΚΗ litteris majusculis scriptum Γ in T mutatum erat, ut τητορικῆ et tandem ῥητορικῆ fieret.

4. *Euripidis* fragmentum quoddam in Aristotelis libro contineri videtur qui «Sophistici elenchi» (=refutationes sophistarum) inscribuntur, in pagina 166 a 36 ubi versus iste legitur: ἐγὼ σ' ἔθρηξα δοῦλον ὄντ' ἐλεύθερον. Quem iambum Augustus Nauck in opere *Tragicorum Graecorum fragmenta* (2. ed. Lipsiae, 1889) ut «adespoton» 74 inseruit. Hic quidem versiculus Graecus ambiguitate quadam sensum duplicem et obscurum latine ita offert: «Ego te servum feci, qui liber es»; vel sic: «Ego te liberum feci, qui servus es». Intellectus verus autem solummodo ex serie verborum dialogi recuperandus esset. Re vera antithesis inter δοῦλον et ἐλεύθερον statui potest; ad notionem δοῦλος cf. idem Augustus Nauck: *Tragicae dictionis index* (Petropoli, 1892) 156 157. Tales oppositiones, qualem ille versus exhibet, magna cum voluptate Euripides adhibebat, ut docet Wilhelm Schmid: *Geschichte der griechischen Literatur*; 3. volumen: *Die Klassische Periode* (Muenchen 1940), 806. Praeterea sensum verborum duplicem idem tragicus Euripides studiose appetebat (cf. SCHMID, 801). Aristoteles vero «aporemata... Euripidis» disputavit; cf. VALENTINUS ROSE, *Aristotelis fragmenta* (Lipsiae, 1886), 16 in catalogo Hesychii nr. 144, unde licet suspicari illum quoque versiculum ab Aristotele, 166 a 36, laudatum, ad «aporemata... Euripidis» adnumerari posse, cum versus ἀπορίαν quandam in verbis δοῦλον ὄντ' ἐλεύθερον contineat. Postremo igitur quoniam hic versus Graecus sensum ambiguum prae se fert atque ab Aristotele in capite de ambiguitate sophistica prolatus est et quod idem Aristoteles de ambiguitatibus Euripidis poëtae seorsim egit, illum versum eidem Euripidi attribuere certe rationi non erit alienum.

EMIL ORTH

---

## Loquerisne lingua Latina?

Ut Romanorum lingua cum amicis colloqui possis atque in novis rerum inventis aptam in promptu semper habeas vocem Latinam, librum tibi in in sermone adhibe socium, cui est index


NOVA ET VETERA

a Jos. M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F. conscriptum.

Apud Administratorem PALAESTRAE LATINAE (*Gráficas Claret*, apart. 1042, *Barcelona*) venit pesetis 20.

# Nova et Vetera

## Cultus



1. — Cultus, a Latino verbo *colere*, dicitur qui animo hominis adhibetur: disciplina, educatio, institutio. Sed cultus quoque dicitur, qui Deo virisque potentia vel dignitate supra ceteros eminentibus adhiberi solet. Atque adeo est honor, obsequium, observantia, veneratio.

Ita de re se habet clarus ille Tullius (*De Nat. Deor.* 1, 34): «Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quae adhibetur homini: ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio, comprehensio, ad extremum etiam sermo et oratio». Et, in *Tusc.* 1, 26, sic idem conscribit: «Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud nisi, ut Plato, donum, ut ego, inventum deorum? Haec nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudit».

Nostra vero in Christianorum lingua haec *cultus* vox, in sensu quidem ampliore sumpta, nihil aliud significat, nisi verae religionis declarationem, vel hanc potius declarationem una cum recognitione earum rationum, quae hominem cum Deo conjungunt unice. At modo tamen praecipua vox cultus sumitur pro eo religio honore, quem tribuimus Deo ex ejusdem excellentia et omnibus officiis muneribusque, quae nos in eum obstringunt.

2. — In superioribus commentarii PALAESTRAE LATINAE fasciculis (num. 4, pag. 56; num. 25, pag. 100; num. 26, pag. 119), praecipua vocabula protuli memoranda de rebus, vestibus sacrisque ornamentis, ad divinum cultum expectantibus ac pertinentibus. Quocirca adjuncta in tabula picta non nulla solum in tironum commodum repeto, eaque Latina et Hispanica lingua expressa:

1 <i>Acetre</i> , sitilla, ae	5 <i>Corporales</i> , corporalia, ium	10 <i>Purificador</i> , linteolum sacro calici detergendo
2 <i>Bolsa de los corporales</i> , bursa corporalium	6 <i>Cáliz</i> , calix, ícis	11 <i>Naveta</i> , acerra, ae
3 <i>Cornijal</i> , linteolum, i	7 <i>Custodiā</i> , ostensorium, i	12 <i>Palia</i> , palla, ae
4 <i>Humeral</i> , umerale, is	8 <i>Copón</i> , ciborium, i	13 <i>Incensario</i> , thuribulum, i
	9 <i>Patena</i> , patēna, ae	14 <i>Vinajeras</i> , urceoli, orum

3 — Multa exstant in divino apud Christianos cultu, quae in deliciis et animo et corpori fidelium sunt; namque cultus Deo debitus internus et externus esse debet: utpote qui Deo corpore animoque addi&ti natura et gratia simus. Hic vero me quaedam dumtaxat, quae ad aurium delenimentum pertinent, usu meo referre juvat. Video enim mediis in ecclesiis nostris *organum*, de quo in Officio Divino die Sanctae Caeciliae, legimus: «Cantantibus organis, Caecilia Domino decantabat dicens: Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar».

Notiora igitur de organo, cum etymologice tum semanticè, dicam. Jam vero; organum vox Graeca est inde ducta, quia eo utimur πρὸς τὸ ἔργον, quasi diceremus ἔργαρον, quod nempe tractatur vel subigitur ab a&ctore. Sic fere in Dictionario, sub voce, definitur informatio verbi a Forcellinio. Est autem, in genere, instrumentum vel machina ad aliquid faciendum: eo quidem labor hominis facilius in agri cultura, architectura, bello..., redditur.

Itaque apud Plinium haec legimus: «Organis excogitatis, per quae singularum (stellarum ac siderum) loca atque magnitudines signaret» (2 *Hist. nat.*, 26, 24, 95). Apud Colum. vero haec: «Sic compositum *organum* quum in sulcum demissum est, litem domini et conductoris sine injuria diducit» (*R. R.* 3, 13, 12).

Speciatim vero, organum dici de instrumentis musicorum solet. Etenim delenimentum aurium a modulatione vocis est: seu vivae, seu musicorum organorum. Ea autem triplicis sunt generis: vel pulsantur, vel ple&untur, vel inflantur.

*Pulsantur*, in primis cymbalum, sistrum, tintinnabulum, tympanum et crepitacul& quaecumque. *Ple&untur* vero organa, quae fidibus intenduntur ac remittuntur. Idque vel digitis, seu manus utriusque, ut nablium aut sambuca; seu alterius ductu, altera moderante chordas, ut cithara et testudo; vel ped&io: eoque, aut setaceo, ut chelys, aut rotabili, ut lyra; aut prosiliente pinnula, ut instrumenta aeneorum fidium. *Inflantur* denique quaedam ore, ut fistula a fistulatore; tibia a tibicine; tuba a tubicine; lituus a liticine; bucina a bucinatore; gingrina a gingrinatore; tibia utricularis ab utriculario. Quaedam vero follibus, ut organum hydraulicum, vel pneumaticum, aut organum hodiernum proprie dictum.

4. — Ad rem vero Divus Augustinus (*Enarr. in Psalm.* 150, n. 7): «Organum generale nomen est omnium vasorum musicorum; quamvis jam obtinuerit consuetudo, ut organa proprie dicantur ea, quae inflantur follibus». Atque organum pneumaticum, nostris simile quibus nunc in templis utimur, his Cassiodorus verbis describit (*Expos. in Psalm.* 150): «Organum est quasi turris quaedam diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissima destinatur; et, ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiore parte constituitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt et suavissimam cantilenam».

Jam vero organum est musicum venti instrumentum ex multis, ubi sonus pro-

ducitur, tubis compositum, et una aliquibus follibus qui aërem impellant et tegulato variisque regeñtis, quorum quidem ope vocis tenor moderetur. Organum, ut nomen proprium, instrumentum musicae praecipuum indigitat, in quo omnia, per structuram quae in manu ea unius hominis ponat, instrumenta (organa) vel eorum imitatio conjunguntur.

Itaque hoc sensu, organum est quasi instrumentum «syntheticum», in quo semper habuit artifex prae oculis accumulare, quoad fieri possit, cum tenorem tum extensionem omnium musicae instrumentorum: id est, numerum et varietatem omnium, pro tempore, cognitorum.

In processu temporis per varia fuerunt genera organorum, ab instrumentis simplicissimis ad maxime composita. In antiquo PALAESTRAE LATINAE fasciculo (num. 11, pag. 26), curiosam invenies pristinam organi definitionem. His vero impono finem ejusdem instrumenti laude a Prudentio exarata, atque non nullis ad usum tironum phrasibus.

*Quidquid in aëre caro reboans tuba curva remugit,  
Quidquid in arcano vomit ingens spiritus hausto,  
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,  
Organa disparibus calamis quod consona miscent,  
Aemula pastorum quod reddunt vocibus antra,  
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum  
Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.*

*Traditae per manus religiones:* cultos transmitidos de padres a hijos  
*Opinio Dei:* la creencia en Dios  
*Deum esse negare:* negar la existencia de Dios  
*Deum esse credimus:* creemos en Dios  
*Institas Dei cognitiones habere:* tener la idea innata de Dios  
*Impietas:* la incredulidad  
*Qui Deum esse negat:* el incrédulo  
*Numen deorum, divinum:* el poder soberano de la divinidad  
*Dei propitii, irati:* los dioses favorables, adversos  
*Superi, inferi:* los dioses del cielo, los del infierno  
*Ad inferos descendere:* bajar al infierno  
*Apud inferos esse:* estar en el infierno  
*Aliquem ab inferis, vel a mortuis, excitare:* resucitar a uno  
*Deos sancte, pie venerari:* honrar con piedad a los dioses  
*Deum rite colere:* honrar a Dios según los ritos  
*Cultus Dei, deorum:* el culto divino  
*Rebus divinis interesse:* tomar parte en el culto  
*Sacris adesse:* asistir al servicio divino  
*Templa deorum adire:* ir en peregrinación a los templos  
*Numerum deorum obtinere:* ser tenido como un Dios  
*Aliquem divino honore colere:* dar a uno los honores divinos  
*Supera et caelestia:* las cosas celestes  
*Humana et ceteriora:* las cosas terrestres

*Divinitus accidit:* sucedió por un milagro  
*Imbuere pectora religione:* llenar los corazones de temor de Dios  
*Religionem ex animis extrahere:* arrancar de los corazones el sentimiento religioso  
*Omnem religionem tollere:* destruir toda piedad  
*Religionem alicui afferre:* inspirar a uno escrúpulos religiosos  
*Religionem externam suscipere:* abrazar una religión extraña  
*Religiosum est id facere:* en conciencia debe hacer-se esto  
*Jusjurandum dare alicui:* prestar un juramento  
*Ex animi mei sententia juro:* juro en mi alma y conciencia  
*Jurejurando aliquem adigere:* obligar a prestar un juramento  
*Jurejurando teneri:* estar obligado por un juramento  
*Perjurium facere:* cometer un perjurio  
*Jusjurandum, religionem servare:* guardar su juramento  
*Divina scelera:* ofensas a los dioses  
*Divinissima dona:* dones sumamente dignos de Dios  
*Superstitio mentes occupavit:* la superstición se apoderó de las almas  
*Nec vero superstitione tollenda, religio tollitur:* y no por destruir la superstición, queda destruída la religión

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Amplissimo viro veneratissimoque Pastori

## Firmino Aemilio Lafitte

Cordubensi Archiepiscopo Argenteas, quas vocant, Nuptias ab  
Episcopali Dignitate suscepta hodie celebranti

### ALCAICON

Audis! Ut montes undique personant  
cantu et resultant plausibus exciti?

Ut fama apertis acta pennis  
Reipublicae super omne litus

jucunda profert gentibus omnia?

Ut vota fundunt fervida subditi  
Te Numen ut dextra potenti  
incolumen ferat et reducat?

Fallor?: Rubentes en rutilant faces  
multoque signant aethera lumine  
et noctis obstantes tenebras  
discutiunt radiante nimbo.

Haud vana volvo: vera oculi vident;  
veros et aures excipiunt sonos.

Longe profanum, perge, vulgus,  
namque Dei, ecce Dei Superni

missus per auras id canit Aliger:

«Huc, quotquot estis, ferte cito  
[gradum,  
queis corda tangit Cordubensis  
gloria Praesulis incruenta.

Ille quis unquam fortior aut fuit,  
aut tam virili pectore sustinet  
adversa? Sortem quis secundam  
mente adhibet moderatori?

Non aestuantis vecta per ultimos  
ponti recessus fama; nihil quoque  
movere laudes, queis parabant  
grati animi monumenta cives.

Mundis Sacerdos clarus honoribus,  
quos non vetustas nullaque prouet  
fortuna, justorum reponi  
ordinibus mereat beatus».

Postquam locutus suaviter angelus,  
festinus arces attingit igneas...

Vates sacrarum Nuptiarum,  
taliam profero gratulanter:

«O jure felix! nunc cole vineam  
istam, tuos et ducite filios  
pugnemus ut fortes, Tibique  
aethereis sociemur Aulis».

CLEMENTINUS SANZ, Sch. P.

*Cordubae, in Argentina*



# Colloquium

## In campo pediludii

(MARCELLUS, CLAUDIUS, PETRONIUS)

- M. Heus tu, Claudii, esne pedilusor?
- C. Non sum. Non enim me iuvat pediludium (*no me gusta el f.*). Ceterum, ritus ejusmodi ludi non novi (*desconozco las reglas del j.*)
- M. Hoc quidem nihil refert. Eos a me discas. Pronissimus quippe sum ad ludendum pila (*soy aficionadísimo al juego de p.*).
- C. Istuc quidem recte (*me parece bien*).
- M. Tu autem, Petroni, scisne pila ludere?
- P. Omnino nihil (*nada absolutamente*). Ne pilam quidem reciprocare scio (*lanzar la pelota de un lugar a otro*).
- M. Ne follem quidem scis ultro citroque jacere? (*echar la pelota acá y allá?*)
- P. Ne id quidem (*ni siquiera eso*).
- M. Libetne vobis meos esse comites ad pediludii campum? (*acompañarme al c. de fútbol?*)
- P. C. Utique libet.
- M. Eamus igitur.
- C. Jam tandem pervenimus. Pro Jesu! Quanta hominum frequentia! (*¡Jesús, qué gentío!*) Qui campus! Quam longe lateque patet!
- P. Ita quidem. Qua vero de causa haec tanta hominum multitudo, Marcelle?
- M. Hoc est quia hodie perillustres sunt in ludo concertatores. Ludunt nimirum ex undecim optimis collusoribus, qui unquam gentium fuerunt. Videte illos in campum descendere, eosque omnium plausus accipere. En undecim alii qui ut concertationem cum illis instituant, in arenam quoque se produnt.
- C. Hinc plane video vexillulum angulare (*la banderola de la esquina*), circulum medium [centralem] (*el círculo central*), lineas etiam laterales albo colore depictas, quae quidem campi terminos signant.
- M. Lusores jam suo quisque loco sistunt. Arbiter concertationis initium sibilo notat. Videte quam recte pilam jacent. Portarium respice, Claudii; ut venustus adolescens! Quam corporis habitus elegans! (*¡qué airoso talle!*). Dux manus ille est (*es el capitán del equipo*).
- P. Quidnam muneris illi est?
- M. Portam pro viribus defendit. Intercludere debet lusionem illi, qui portam pertingere satagit. Folli obviam ire solet, manumque ad illum porrigere (*dar alcance al balón*), et sic nascenti discrimini occurrit (*ataja el peligro*). Itaque, cum periculum portario imminet, se porta foras prorripit (*sale al punto de la portería*), ad pedes hostis irrumpit ad follem aucupandum (*para hacerse con el balón*), et pilae impetum cohibet atque retinet.
- C. Mihi videor videre (*me parece que veo*) adversus unum ludere unum.

- et alterum (*que juegan dos contra uno*). Quid ita? (*¿por qué así?*).
- M. At id contra ludi leges est. Et valde damnandum quod arbitro haec astutia placet (*q. el árbitro apruebe la falta*). Ceteroquin, quo pacto id contingat, nescio: perfectam enim pediludii rationem tenet... Sed hoc semper solet evenire, ut arbiter discordiae malum mittat (*siembre la manzana de la discordia*).
- P. Fortasse hoc est, quia de competitione officiosa agitur (*partido amistoso*).
- M. Est quod dicis (*tienes razón*). Vide'n defensorem, qui nunc pilam jactat? Ut valida pilae jactatio! (*¡qué buen saque!*). Euge! Euge! (*¡bravo, muy bien!*).
- P. At extra praefixos terminos pilam misit... Vah! haec lusio nihil est! (*¡bah, de nada ha servido la jugada!*).
- C. Deus perdat silicem illum in quem follis collisit! (*¡mal haya aquella piedra en la que tropezó el balón!*).
- P. Quin contra, Deus amet illum, nam cursores reppulit! (*porque estorbó a los volantes*).
- M. Pro dolor! sed ut valida pilae repulsio! Ut recte pilam ex volatu remittit! (*¡qué bien retorna la pelota de voleo!*).
- C. Quanam sunt, Mari, defensorum partes?
- M. Manipulus trium defensorum (*la línea defensiva*) pro portario acerrime propugnat, et follem in hostium campum repellit. Praeterea, impedimento sunt defensores, quominus ad portam liceat pervenire. Eorum siquidem alacritas (*su arrojo*) aditum ad portam intercludit (*hace inaccesible la portería*). Aciei cursum morantur (*detienen la delantera enemiga*), impetum coërcent atque interrumpunt. Ita, manasset discrimen ante portam, nisi defensores assultorum vim (*la presión de los delanteros*) rettudissent.
- C. Quis est qui nunc pilam jaculat, pulsat? (*chuta?*). Quam industrius est lusor, nonne? (*qué hábil jugador, ¿verdad?*).
- M. Minime, Claudí. Cursor est medius dextrae partis (*el medio derecha*), et nequaquam industrius, sed fortuna utitur hodie valde secunda. Fortuna solet adversari eis, quibus principio blandior arrisit.
- C. Nunc cursores follem occupant. Quid tibi de illis videtur, Petroni?
- P. Omnia ista teruncii non facio. Ludum taedio habeo (*me está fastidiando este juego*).
- C. Curnam cursores appellantur?
- M. Duo sunt in pediludio cursores sive assultores medii (*medios, volantes*) Eis praesertim incumbit follem mittere ad assultorum aciem (*a la delantera*), eisque adjumento esse. Citato cursu —medii quippe rapidissimi esse solent— pilam arripiunt assultoribusque mittunt.
- C. Nunc assultor extremus dexter (*extremo derecha*) pilam velis remisque (*con todas sus fuerzas*) jactat.
- P. Factum male! (*¡qué mal!*). Resiliit follis in portam (*rebotó la pelota en el larguero*). Vah! qui assultores! (*¡vaya qué delanteros!*). Malum, pessime! (*¡mal, muy mal!*).
- M. Quis est iste balatro, qui sic loquitur? (*¿quién es este fanfarrón que...?*) .

- P. Egomet, qui hoc ludo fastidior.  
M. Quis? tu, Petroni?  
P. Ego, nae (yo, sí).  
C. Sed quis condicionem vincet, Mari? (*¿quién ganará el partido?*).  
M. Etiamnunc nihil scitur (*hasta ahora no se sabe*). Rem acu tange (*adivínalo*).  
C. Fieri non potest. Res autem indicabit (*ya veremos*).  
M. Nunc assultor medius pilam fortissime jactit. Hoc venusto adulescente fortunatiorem in ludo vidi neminem!  
C. Nunc demum portam tetigit (*por fin dio en la portería*).  
M. Utique tetigit! Et spectatores utroque pollice laudant! (*lo aprueban enteramente*). Sed arbiter aliud omnino sibilo signat. Jactus non fuit validus (*no fue gol*).  
C. Seorsum fuit (*fue offside = fuera de juego*).  
M. Ast judicēs ictu poenali lusores hostes puniendos esse censent.  
C. Evax! poenalem ictum consecuti sumus! (*joh, qué bien, un penal!*).  
M. Assultor medius poenalem ictum jactet. Macte virtute esto!  
C. Euge! (*¡ánimo!*) Date locum. Cavete a folle! (*allá va el balón, cuidado!*).  
M. Abeste procul, lusores! Portarius in procinctu est (*el portero está preparado*). Nunc occasio tulit ut aliquando tandem porta per jactum validum potiri possimus (*podamos hacer gol*).  
C. Audi lusores, Petroni: «cedo follem» (*venga la pelota*). — «Cape» (*tómala*). — «Pulsa aliquando» (*tira de una vez*). Cura perstringit spectatores (*el temor se apodera de*).
- P. Magno sum taedio affectus, Claudi. Et aegre fero, quod tu tanto opere isto ludo capiaris... (*que te guste tanto este juego*).  
M. Nunc tandem pulsat follem assultor! Io, jactus est validus!! (*magnífico, gol!!*). Annon dicebam? (*¿no lo decía yo?*)  
C. Nequaquam, Mari. Portarius quidem ad follem manum porrexit; at elapsa est de manibus pila, eamque rettudit! (*se le escapó de las manos la pelota, y la echó a córner*).  
M. Ita se res habet. Ecquid tibi hac de lusione videtur, Petroni?  
P. Mediocriter... (*así, así*).  
M. Spectatores linteola in altum extollunt (*agitan los pañuelos*). Euge! Io collusores! (*¡Bravo! ¡Muy bien!*)  
C. Taedium antea spectatoribus incessit, sed ludus jam nunc incitatur (*cobra animación*).  
M. Ita sane. Respice nunc, Petroni, assultores impetum facere contra manipulum defensorum. Eos sagacissime eludunt (*burlan sagazmente*), portamque pilae ictibus verberant (*hostilizan la portería con tiros continuados*). At defensores hostes optime quidem aggrediuntur, et magna portarii projectio (*magnífica estirada*) lusum tandem coërcet (*detiene la jugada*). Uti videre est, Claudi, assultorum est contendere omni studio, ut ad portam usque inimicorum pervenire queant, portarium deludant, jactumque validum consequi possint.  
C. Assultores extremi fere nunquam portam tetigerunt. Fortasse quia multum in ludo aberrare solent (*están distraídos*); et ludendo intento

animo opus est (y es menester atención en el juego).

M. Rem tenes, Cai. Saepissime occasio perit follem in portam ingerendi. Ludi acuta fuerunt (*trances peligrosos del juego*). In ambiguo certe porta fuit. Verum non facile est pilam retibus implicari (*que se cuele el balón en las mallas*), prae defensorum audacia.

C. Tamen, ut mea fert sententia, manus ista omnibus praeit (*este equipo es el que mejor juega*). Palmam quippe semper tulisse constat, cum omnes alias hucusque vicerit.

P. Tabella inscriptoria (*el marcador*) aequatum adhuc certamen notat (*empate a cero señala todavía*)... Ego autem pilae ictum accepi, et dolore capitis laboro (*recibi un pelotazo y tengo d. de cabeza*).

M. Dolendum sane, Petroni, sed ferendum... Jam concertationi arbiter

finem dedit, et quamquam aequata pugna fuit, propinemus collusorum saluti (*brindemos a la salud de los j.*)

C. Placet, Mari; propinemus.


P. Nullo modo, sed potius deridamus illos! Exsibilandi quidem sunt! (*merecen que se les silbe*).

M. Quae tibi, Claudii, haec pediludii concertatio visa est?

C. Jam pediludio delector; mirificam enim ex ejusmodi ludo cepi voluptatem.

P. Ad me vero quod attinet, magna sum molestia affectus. Quin etiam, satis mirari non possum, curnam hoc ludo homines tantopere teneantur. Quid enim stultius, quid ineptius, quam pedibus ludere, quasi manibus destituti esse videamur, et post pilam insanissime currere? Nihil profecto insulsius hoc ludo vidisse me memini.

LEO M.<sup>a</sup> SANSEGUNDO



# Cursus gymnasticus

## COMIDA EN CASA DEL LICENCIADO CABRA

(cfr. fasc. 140, p. 74-75)

Acabando de decirlo, echóse su escudilla a pechos, diciendo: «Todo esto es salud y otro tanto ingenio». —Mal ingenio te acabe, decía yo entre mí, cuando veo un mozo medio espíritu y tan flaco, con un plato de carne en las manos, que parecía que la había quitado de sí mismo. Repartió a cada uno tan poco carnero, que en lo que se les pegó a las uñas y se les quedó entre los dientes, pienso que se consumó todo, dejando descomulgadas las tripas de participantes. Cabra los miraba y decía: «Coman, que mozos son, y me huelgo de ver sus buenas ganas. Mire vuestra merced qué buen aliño para los que bostezaban de hambre». —Acabaron de comer, y quedaron unos mendrugos en la mesa y en el plato dos pellejos y unos huesos, y dijo el pupile-ro: «Quede esto para los criados, que también han de comer; no lo queramos todo».

(QUEVEDO, *La vida del Buscón*, 1. 1.º, c. 3).

## PRANDIUM APUD CAPRAM MAGISTRUM

Quae cum dixisset, suamque cupide exsorbuisset scutellam: «Hoc totum, inquit, bona valetudo idemque exquisitum ingenium». —Pessimum te perdat ingenium!, mecum ipse commurmurabar, cum ecce ministrum quasi corpore expertem video, et adeo gracilem ut, quem in manibus deferebat carnis catillum, ex se ipse decerpisse videretur. Arietis particulam adeo minutam singulis distribuit ut, in eo quod inter ungues adhaeserit et in dentibus remanserit, tota, opinor, caro consumpta sit, dum intestina inanitate et fame murmurabant. Eos Capra inspiciens «comedite, inquit, vigetis enim aetate atque ex vestra edacitate magnum percipio gaudium. Animum intendat velim tua humanitas in optimum condimentum iis qui antea fame acti oscitabant».

Finito prandio, aliquot in mensa panis frustula remanserunt et in catino pelliculae cum ossibus; «Haec, inquit erus hospitalis, ad famulos; manducant et illi; non omnia nobis»...

## NOTAE

1) **echóse su escudilla a pechos:** Huius locutionis sensus Academiae Linguae Hispanicae interpretatur: «beber con ansia y en grande cantidad»; verte igitur: *suam cupide exsorbuisset scutellam*. Cfr. «Huc pertinet ovorum, quae exsorbuertit quisque» (PLIN. *H. N.* 28, 2, 4 (19)

2) **salud:** *Valetudo* est verbum medium seu anceps (cfr. GELLIVS, 1, 2. 9), et habitudinem corporis significat quae integra vel infirma esse potest, et verbo, genetivo, adiectivis fere definitur: «*Valetudine oculorum impeditur*» (Cic. *Fam.* 14, 4, 6), *por enfermedad de la vista*. «*Caesaris exercitus optima valetudine*

utebatur. (CAES. B. C. 5, 49, 5). *gozaba de excelente salud.* (Cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v. *sanitas*; BARRAULT, *Traité des synonymes de la langue lat.* n. 698).

3) **y otro tanto:** Cum duae producuntur qualitates vel duo adjectiva substantivo adhaerent, quorum alterum qualitatem addit a superiore diversam vel discrepantem, qualitates vel adjectiva verbis *et idem, idemque* coniungi solent: «Ego vir fortis *idemque* philosophus vivere pulcherrimum duxi» (Cic. *Fam.* 9, 17, 2) «Quidam nimis magnum studium in res obscuras conferunt *eisdemque* non necessarias» (Cic. *Off.* 1, 6, 18)

4) **ingenio:** *exquisitum, optimum ingenium*, nam qualitas quae valetudini addita est (=bcna) requirere videtur ut alteram (*optimum, exquisitum*) ingenio addamus

5) **te acabe:** *te perdat*; cfr. «di te perdant, di te perduint», quae in primis apud priscos scriptores saepe invenies.

6) **decía yo entre mí:** *mecum ipse commurmurabar.* «Ut scriba *secum ipse*, caput sinistra manu perfricans, *commurmuraturus sit*» (Cic. *Pis.* 25, 61); etiam *mecum (animo) loquebar*; cfr. «Hoc facito *tecum animo cogites*» (TER. *Adelph.* 3, 4, 55) Nota discrimen inter «loqui *secum*», *entre sí mismo*, et «loquuntur inter se», *hablan entre ellos mismos*; cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v.

7) **cuando veo un mozo:** «Ecce saepe adhibetur ad repentinum aliquid atque improvisum ostendendum; occurrit sine additis et cum particulis *autem, cum, dum*», cet., cfr. FORCELLINI, s. v. *Ecce* apud Ciceronem fere in nominativo casu legimus (RIEMAN-ERNOUT, *Syntaxe latine*, 42, R.); et verbum saepe omittitur: «Cum maxime scriberem, *ecce tibi Sebosus*» (Cic. *Att.* 2, 15, 3); sed aliquando additur: «*Ecce autem video rure redeuntem senem*» (TER. *Eun.* 5, 5, 25).

8) **medio espíritu:** *quasi corpore expers*; *quasi* ad metaphoram seu locutionem temperandam inservit; cfr. «*aliquis quasi deus*» (Cic. *Cluent.* 69, 195). *Semianimus* aliud significat; [*quasi*] *in:corporeus* tamen apud Gellium (5, 15, 1) legimus, quae vox adhibere fortasse poterit.

9) **plato:** *catillus, catinus* (cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étym. de l. l.*), [*ferculum*].

10) **de sí mismo:** Cum *ipse* pronomini personali vel reflexivo coniungitur fere in nominativo casu effertur cum aut nominativus eluceat oportet aut oppositio distinctius pateat (cfr. ISSELÉ, *De Latinorum sermone*, p. 84, n. 3; BLATT, *Précis de syntaxe latine*, 186); secus casus regiminis adhibetur: «*Me ipse consolor*» (Cic. *Am.* 3, 10) «*Ceteris satis facio, mihi ipse nunquam satis facio*» (Cic. *Fam.* 1, 1, 1).

11) **tan poco carnero:** *arietis particula adeo minuta*; cfr. «*Tam minutae rerum particulae*» (QUINTIL. 3, 11, 21). Et etiam: *paululum arietis*.

12) **dejando descomulgadas las tripas de participantes:** Hujus locutionis translatio ad verbum difficilis est et a lingua Latina aliena; sensum tamen apte interpretari possumus: *dum intestina inanitate et fame murmurabant*; cfr. «*Mihi ejunitate (ali, inanitate)* jam dudum *intestina murmurant*» (PLAUT. *Cas.* 4, 3, 5); et etiam *crepant*. «*Quando esurio, intestina tunc crepant*» (Plaut. *Men.* 5, 5, 26); vel *dum intestina (aviditate et) fame consumebantur*: cfr. «*Tantus exercitus fame paene consumptus*» (CAES. B. G. 7, 21).

13) **los miraba y decía:** Quanquam duo verba particula *et* conjuncta adhiberi possunt, aptius tamen primum verbum in participium praesens convertes, ut saepe fit ad rem, quae simul peragitur, significandam: «*Socratis morti illacrimari soleo Platonem legens*»

14) **son mozos:** *vigetis aetate*; cfr. «*Animo vigemus*» (Cic. *Att.* 4, 3, 6). «*Vigeat aetas*» (SALL. *Cat.* 21).

15) **me huelgo:** *magnum percipio gaudium*; cfr. (PLIN. *Epist.* 2, 10, 6); vel *gaudio afficior*.

16) **sus buenas ganas:** *edacitas*; cfr. «*Neque edacitate eos quisquam poterat vincere*» (PLAUT. *Pers.* 1, 2, 7).

17) **vuestra merced:** Hi honoris et benevolentiae tituli qui adeo in consuetudine sermonis cottidiani nostra aetate occurrunt, in Latinum sermonem posse et saepe converti oportere arbitramur: *tua humanitas*; cfr. apud veteres scriptores: «*Sed neque parvum carmen majestas recipit tua*» (HORAT. *epist.* 2, 1, 258). «*Frustra adjuvare bonitas nitetur tua*» (PHRAEDR. *Epilog.* III, 17); et apud Ecclesiae Patres passim, *caritas tua, vestra* (AUGUST. *Tract. II in*

Joan.), *reuerentia tua* (HIERON. *epist.* 143, 1), cet. legimus.

18) **aliño**: *condimentum*.

19) **de hambre**: *fame acti*; ablativis, iis in primis qui animi sensa produunt, participla adjunguntur: «amore captus, aviditate motus, cupiditate inductus tra incensus». «Hispani vel *utribus incubantes (sobre pellejos)* amnem transnaverunt vel *scaphis exceptu (en barca)* aufugerunt» (cfr. LIV, 21, 27, 5); cfr. MENGE, *Repetitorium*, § 108, *Anm.* 2, b; 154.

20) **dos pellejos**: *pelliculae*; numeralia

quae necessaria non sunt, saepe omittuntur; cfr. MENGE, *Repetitorium*, 212, *Anm.* 1; GANDINO, *Lo stile latino*, 1, 2, 8): «Avaritia et luxuria, foedissima vitia», **dos vicios muy feos**. «Plato et Aristoteles, summa auctoritate philosophi», **dos filósofos**.

21) **pupifero**: *erus hospitalis*; fortasse et *alimentarius*.

22) **quede; queramos**: Adstrictiorem orationem adhibere possumus atque haec verba omittere.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR. C. M. F.

## Curiosis amicis responsa dantur

**Sermo Latinus** — G. J., *Sa.* — Sunt qui —ut dicis— de iis blaterant, quae mente non capiunt. —At summa sane est adhibenda animi prudentia cum iudicium scripto proferimus. Nunc omnes clam. virum A. BACCI, qui novi Commentarii Latini coetusque virorum linguam Latinam colentium auctor est et fautor, maxima nominamus reverentia. Dolendum tamen in ephemeride, quae adulescentes levitas doctrina erudit et ad virtutem informat, scriptorem in sermonem incidisse de vocabulis, quae cl. vir Bacci in «lexico» usurpanda proponit; ejus tamen ratio in Latinum vernaculas voces convertendi —quasi per jocum— lingua Latina *atomica* —fortasse ob locutionum redundantiam— ab illo scriptore appellatur.

Diversae profecto sunt sententiae de novis effingendis vocabulis Latinis aut de antiquis aptandis; sed ille, qui adeo doctum se praebuit virum, aut illis ipse proferat meliora, aut, si scientia caret, tanto viro justam ac meritam exhibeat reverentiam.

**Inhumatus**. — M. C., *Vic.* — Video te res nostras —nostrae dico civitatis— legere et amare... Nunc autem quaestionem proponis, quam, nisi tu litteris attigisses, neque nos expenderemus.

Profecto bonus ille vir nimis fidenter scripsit et quod in dubium saltem vocare debuit, libentius protulit. Si lexicon Latinum manibus evolvisset, duplex invenisset vocabulum et *inhumatus* —a Cicerone usurpatum, i. e. «non humatus, insepultus»: «Cum projectus esset inhumatus» (CIC. *Divinat.* 2, 69, 143)— et *inhumatus*, quod apud Plinium et alios argenteae aetatis scriptores scriptum legimus, cujus est sensus: «*inhumatus* · *inhumare* = humo integere, terra obruere». Haec Forcellinius, et eadem Ernout-Meillet: «*inhumatus*» non enterré, sens classique; ce n'est qu'à partir de Pline qu'on voit apparaître

*inhumare* avec *in-* local, «mettre en terre, *inhumer*» d'ou *inhumator: pollinctor* (Gloss)... Il est à noter que les Latins n'ont jamais eu \**terrare*, \**interrare* dans ce sens» (1).

Ex his igitur infertur sensum vocis Hispanicae *inhumado* non alium esse ac vocis Latinae aetatis argenteae «humo intectus, terra obrutus» (*enterrado*); eadem vox, idemque sensus in lingua Gallica «inhumé» et in Italica «inumatō» exstant. Et illud est in primis notatione dignum quod sensus primaevus seu classicus in linguas romanicas non defluxit, sed tantum aetatis argenteae sensus, qui fuerat ab scriptore improbatas.

Ergo neque nos male et inquinata Hispanica lingua loquimur cum hanc vocem «inhumado» (= *enterrado*) adhibemus, neque male nobilissima ACADEMIA HISPANICA loqui nos docet —ut bonus ille grammaticus dixerat—, sed vocem tantum explicat et proponit, quae jam Romanorum temporibus fuerat usitata quaeque hodie in romanicis linguis viget.

**De vocibus a cl. v. propositis.** — *J. A., Val.* — «Maxime mihi arrisit —narras— egregium illum ducem ac rei publicae S. F. A. moderatorem cum sociis Latino sermone familiariter uti». Sed de puritate Latina illarum vocum aliquam habes dubitationem.

Probe scripsisti, et ego pariter tecum dubitarem; nam *tollentor* (2) (= *ascensor*) maximam movet suspicionem ut in lexicum Latinum induci possit. Haec enim vox originem ducere videtur a verbo *tollo*, et duplici ratione a consuetudine sermonis Latini abhorret; nam primum, substantiva quae actionem, agentem, instrumentum designant *ferre* a supino (3) proveniunt (unde \**sublat-orium* a *sublat-um* oriretur); praeterea e desinentia *-or*, *-tor* nomina *agentium* effinguntur; «*exsecut-or*, *faut-or*, *sut-or*, *sart-or*», cet.; nullo modo his nominibus *instrumenta* designari possunt, sed in *-orium*, *-torium* (4) saepe numero desinunt.

Vocem igitur *ascensor* optime latine *pegma scansorium*, *cellulam scansoriam* (5) reddes et fortasse uno verbo *scansorium* (\*5) (subaudi *instrumentum*). Fuerunt qui *tollenonem* (6) adhiberent; sed *tolleno* ad alia exprimenda reservari potest.

Vocem autem Hispanicam «cigarro» (7) latine interpretari possumus *tabaci [contussi] involucrum* (= «cigarrillo, pitillo»), aut *tabaci bacillum* (= «cigarro, puro»); forsitan et *volumen tabaceum* [—efficitur enim foliis *volumine* tortis—], aut, mutato primaevo sensu, *convolvulus tabaci* adhiberi possit. —*Volvuletta* vero incorruptam Latini sermonis puritatem offendit; nulla est enim vox quae simili ratione in *etta* finiatur —habes tantum in lexico latino (8) apposita *hetta* et *psetta*, quae non sunt Latina—.

**Lingua Latina proponitur auxiliaria in consuetudine inter omnes gentes.** — In ephemeride, quae «Cristiandad» inscribitur (m. septembri, n. 227-238), argumenta expenduntur ut sermo Latinus subsidiarius in commercio et consuetudine inter omnes orbis terrarum cives habeatur. Ac varia



memorantur tentamina linguae «internationalis», quae prospere non processit. —Est sane cur egregio scriptori referamus gratias ob PALAESTRAE nostrae LATINAE ejusque scriptorum memoriam, qui olim Cervariae, nunc autem —ab a. 1943— *Barbastri* ad id ut lingua Latina in usu cottidiani sermonis inducatur, indefesso studio operam suam collocarunt.

#### CENSORINUS

1. ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol. l. lat.*, s. v. *humus*.
2. P. CAILLON, *Peut-on initier les enfants de 6 ans au Latin comme au Grégorien? — L'école Montessori de Limoges*, p. 1.
3. a) *capt-io, orat-io, audit-io, quaest-io*; b) *lect-or; sut-or, tons-or, cult-or; act-or* (cfr. MAGNIEN, *Grammaire comparée du Grec et du Latin*, II, n. 332, 318, 2); c) *condit-or-ium, audit-or-ium, locut-or-ium, frix-or-ium* (cfr. GRADENWITZ, *Laterculi vocum Latinarum*, p. 334).
4. In superiore libro in quo «voces Latinae et a fronte et a tergo» inscribuntur, in multis vocabulis in *-or, -sor, -tor* finitis nulla sunt quae instrumenta significant. — De desinentia *-orius, -orium* cfr. BARRAULT, *Traité des synonymes de la l. latine*, n. 197.
5. H. M. JACOBELLI, *Novi flores*, s. v. *ascensore*; BACCI, *Lexicon*.
- \*5. Ita quoque JACOBELLI, s. v.
6. DUMAINE, *Conversations latines*, p. 314, (ubi inventes «tollo ou tolleno, onis»); COGNASSO, *Il Latino per l'uso moderno*, (ubi *ascensortum, cellula scandens*, cet.).
7. Cfr. tamen BACCI, *Lexicon*, s. v. *sigaro*. CAPELLANUS-LAMER-JIMÉNEZ, *Guta de conversación latina*, p. 73 (*stilus, convolvulus tabaci*). cfr. etiam «Juventus Latina»; «Societas Latina», ubi alia inventes proposita vocabula.
8. GRADENWITZ, *Laterculi*, p. 307.

## ROSA RUBRA

«Cur rubes raro, rosa, grata cunque?  
Cur mihi claudis tua labra casta,  
Unde sugebam totiens odoris  
Balsama dulcis?

«Cur tibi claudam mea labra rubra?  
Eccel autumnus mea labra rubra  
Frigidis condit nebulis et atro  
Flamine vellit.

Ne dole! Nam cum tepido volatu  
Venerit ver et Zephyri reflatint  
Dulciter, pandam mea labra tuque  
Oscula figes».

P. MANGEOT, S. J.

Saarlouis, in Canisiano.

# Bibliographia

GREDOS. — *Textus Classici Annotati*

Haec Collectio destinatur ad facilius reddendum studium linguarum classicarum, Latinae et Graecae. Textus ditatus est notitiis cum commentariis ad alumnorum usum maxime accommodatis. Horum libellorum scriptores magnae in re sunt auctoritatis. Atque libelli adhibentur vera aestimatione in Universitatibus, Seminariis Collegiisque in Hispania et Hispana America. Editi sunt sequentes:

CÉSAR. — *Guerra de las Galias: I, II, III IV, V, VI, VII. Guerra Civil: I, II, III*

NEPOTE — *Vidas de Generales ilustres.*

CICERÓN — *De officiis II. Pro Marcello. Catilinae. De Amicitia. Pro Archia.*

SALUSTIO. — *Conjuración de Catilina. Guerra de Yugurta.*

T. LIVIO. — *Ab Urbe Condita: XXII, XXIV, XXV, XXX.*

SÉNECA — *De Vita Beata.*

AUTORES L. TINOS. — *Antología latina — De rebus Hispaniae II.*

JENOFONTE: — *Anabasis I.*

PLATÓN. — *Defensa de Sócrates.*

ALOIS WALDE — *Lateinisches Etymologisches Woerterbuch Dritte, neubearbeitete Auflage von J. B. Hofmann 20 Lieferung Heidelberg. 1953. Carl Winter Universitaetsverlag.*

Jam jam in finem vergit tertia haec magni Dictionarii Latini Etymologici Waldensis editio, a claro viro J. B. Hofmann denuo elaborata. Ad nos vicessimus ejusdem fasciculus modo pervenit, qui a vocabulo *terra* incipit, finit vero in vocabulo *venus*: nempe a pagella 673 ad 752. Norunt quidem hujus operis pondus lectores nostri. De eo igitur, quod de superioribus fasciculis, dicendum: Eadem via atque ratio in enodandis dilucidandisque etymologiis Latinae linguae, quod ita conferet procul dubio ad bene Latinitatem cognoscendam eamque abundanter evulgandam.

Itaque nulli sermonis Latini cultori deficere potest opus in re certe classicum, ut apud omnes in comperto est: ibi plenam vocabulorum historiam et notitiam, ratione prorsus critica, cum alumni tum magistri humaniorum Litterarum invenient. Utinam, quod est in votis, quantocius finem operis videre possimus, in scientiae lexicologicae praeconium atque laudem.

FRANZ BLAT. — *Précis de Syntaxe Latine.* IAC, Paris, 10, rue de l'Éperon. VI. e 1952

Studium linguae Latinae accuratius in dies apud omnes populos certe intenditur: novum hoc «Précis de Syntaxe Latine» id maxime comprobatur. Opus primo elaboratum est Danaorum lingua a claro viro FRANZ BLAT, in Universitate ab Aarhus Professore, eoque duce in Gallicam nunc conversum atque aptatum est

Syntaxis quidem Latina, et stricta et subtilis, est quasi scientia comparationis arduique progressus. Apud Latinitatis cultores nota est Syntaxis Latina «reconstructionis systematicae», a claro viro A. C. Juret exarata; atque illa, forma tantum stilistica, a Dno. Marouzeau. Ejusdem vero evolutio et historia egregie demonstrata est a praeclaris scriptoribus, A. Ernout et F. Thomas.

Haec autem Syntaxis posita in periodo linguae Latinae est, in qua descriptio normalis adigere attentionem alumnorum potest, quin animum tamen in diversas partes separet. Periodus ea est ab anno 100 a. Ch., ad annum 100 p. Ch. Syntaxis quidem classicae Latinitatis, modo tamen hodierno exarata: est operis egregii viri Madvig quasi continuatio, verum sub novam «diem» (*sous un nouveau jour*), ut verbis scriptoris utar.

In eo vero opere locutionis accuratio et sermonis nitor maximo opere com-

mendatur; idque plane dignum duclmus, quod in omnibus cultorum Latinitatis bibliothecis plutum vel abacum, usque consulendum, habeat.

FRANCESCO DELLA CORTE. — *Due Studi Catulliani*. Pubblicazioni dell'Istituto Universitario di Magistero Genova, 1952

Scriptor hujus operis est Recitator Philologiae Classicae et Litterarum Latinarum Professor, in Universitate Genovensi. Ejus modi quidem sententia, nostra haec percommoda est aetas studiis Catullianis. Scitus vero liber «*Due Studi Catulliani*» in id convergit, ut quaestiones duas praecipuas solvat, ad plenam integramque poëtae Veronensis cognitionem: et traditionem manu scriptam et biographiam.

Itaque altero in studio, solutio proposita quasi complementum est indagationum scriptorum Lachmann, Ellis, Hale, Ullman, Pighi. «*L'altro Catullo*», his in pagellis illustratus, ille est qui indirecte ac partim, in traditione manu scripta, uno codice Thuaneo ostenditur.

In altero vero studio vestigia in primis consequitur scriptor Dris. Schwabe. In eo enim per historicam aliquorum nominum cognitionem, quae in Libro Catulli apparent, illi praecipui stabiluntur fines, qui minus vagam magisque notam biographiam Catulli poëtae pandunt.

Brevi igitur praefatione praetermissa (p. 1), duas habet partes liber: *L'altro Catullo* (pp. 5-102) et *Personaggi Catulliani* (pp. 103-246). Eum vero concludit triplex appendix: Addendum, Index nominum, Index locorum (pp. 247-270).

ANTONII D'ELIA, S. J. — *Latinarum Litterarum Historia*. M. D'Auria, Librarius Pontificius. Neapoli MCMLII.

Duplex mihi hoc in libro inventio commodum: Dissertit enim de Latinis litteris et historia, quod omnibus quidem est in corde; verum clarus id scrip-

tor Latina pulcre lingua efficit. Non quidem affluunt apud nos hodie haec factura, cum Latina inscriptio in dies a multis minus apta scientiis artibusque tradendis habeatur. Quod majores nostri non ita judicaverunt.

At vero, ut in prologo: «Antonius D'Elia, ut Latinae linguae evulgandae atque in pristinam dignitatem restituendae nonnihil de suo pro viribus conferret, censuit non abs re futurum Latinarum litterarum historiam Latine adolescentibus enarrare».

Et res bene vertit: nam altera haec editio libri. Neque immerito, cum et diserte atque methodo ac ratione progrediat. A primis Italiae incolis eorumque sermone, usque ad saeculi VI Latinitatem, de omnibus speciatim solutae orationis scriptoribus ac poëtis disserit.

Hoc certe opus proficiet Latini sermonis cultoribus, praesertim vero alumnis ecclesiasticis. Id commodum, in gratulatoria epistula, J. Card. Pizzardo asserit: «Est et alia ratio cur tibi gratuler: quod videlicet latinarum litterarum historiam nitido sermone latino exaraveris, cum haec docendi ratio non mediocriter latinae linguae studiosis sit profutura, illis potissimum qui in Seminaris in Ecclesiae spem adolescent, quae quanti latinam linguam et fecerit et faciat nemo est qui ignoret».

VIRGILIO PALADINI. — Μελέγματα - *Arrivamento al comporre latino*. Società Editrice Internazionale. Torino, 1952.

Artem componendi latine merito appellarem scitum hoc opus, quod praeclearus scriptor benevole suis hesternis et hodiernis discipulis dicat.

Atque facilis quidem ejus modi libri ratio et via. Considerationes «stilisticae» generales (pp. 9-24). Exercitia translationis (pp. 25-98). Exempla translationis (pp. 99-158). Exempla compositionis (pp. 159-188). Et denique themata Latine evolvenda (pp. 189-196).

Natus hic liber in schola, quod fateatur egregius Professor Paladini, rite commonstrat ejusdem originem, maxime vero in exercitiis translationis. Quod sane consentaneum est alumnis linguae Latinae, qui commodum ductorem hunc librum habere possunt, utpote qui exaratus a prudenti et perito magistro fuerit. Eisdem igitur enixe commendamus ad puriorem fovendam Latinam scripturam.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

MICHELE FORNACIARI. — *Latinorum. Guía práctica para los padres cuyos hijos estudian Latín Versión del italiano por Claudio Matons Rossi. 228 págs. 20 x 13. 30 ptas. Editorial Gustavo Gili S. A. Enrique Granados, 45. Barcelona.*

Multa in hoc libro continentur quae iterum atque iterum lectioni atque meditationi subjiciantur oportet. In eo auctor tria haec sibi atque legentibus explicanda proposuit: 1) qua re Latinae litterae pueris tradantur; aliis verbis, qua de causa omnibus alumnis vel potius omnibus hominibus litteris Latinis vacandum sit. 2) Sermo Latinus qua ratione discendus? Quid ingentis, quid mentis in hac disciplina ediscenda impendendum. 3) Quo pacto filios, ut linguam Latinam bene calleant, adjuvare possint parentes, quamvis ipsi litterarum Latinarum prorsus sint ignari.

Quae quidem omnia claritate atque simplicitate persequuntur, ut liber praecipua hominum argumenta fucata terat, qui litteras Latinas, vel potius classicas, in imis archivis ac bibliothecis reponendas putarint. Objecta praecipua solvit eaque luculenter: ex gr.: «linguam Latinam mortuam esse», quam rationabilius vivificam et vivificantem dicere oportet. Et, re quidem vera, mortuusne est Latinus sermo, qui ubique gentium, ubique terrarum audiri, legi, adhiberi

potest ab omnibus hominibus doctrina et ingenio praestantibus? «Nemo enim doctus qui Latinam linguam ignoret» BACCI - *Latinitas*, lib. 1). Multa, et his qui talia effutiunt et illis qui praedicant lingua Latina loqui aut scribere rem prorsus inanem esse respondet Fornaciari eaque non incompete.

In capite VIII auctor de methodo disserit, quae ad linguam Latinam ediscendam adhiberi solet. Plura in eo magistris vitanda aut in praxim reducenda videre est. Multi enim eorum, scientificis cognitionibus affluentes, Latinam linguam cum docent, longissime aberrant a methodo illa rationali quae, maxime in linguis classicis ediscendis atque docendis, semper adhibenda est. Qui non semel oleum operamque perdunt, cum rationes ac mutationes verborum alumnis indicere curant, nihil rebus intenti quae vere summam atque adeo vitam linguarum classicarum constituunt.

Reliqua capita multum de paedagogia, ut ita dicam, Latina docent, de modo sci. quo parentes et magistri et alumni in sermone Latino docendo atque discendo uti debent.

Liber profecto alumnos et magistros legentes juvabit eisque proficiet.

M. RAMOS, C. M. F.

C. ROSSET. — *Argonautae*. Les Éditions de L'École, rue de Sèvres, Paris.

Alta fabella seriei A ad morphologiam ediscendam edita est a clmo. Dno. C. Rosset, qui de litteris Latinis adeo est meritis, ad utilitatem atque oblectamentum puerorum, qui prima Latinitate imbuuntur, exarata. Ut superiores quae prodierunt fabellae, haec *Argonautas* in scaenam inducit, qui tot maria terrasque pererraverunt ut auratis arletibus potirentur. Vocabularia quoque et colloquia Latina adhibet quibus alumni exercentur oportet.

M. MOLINA, C. M. F.